



Q. R. B. V.

Periculum Legale

Exhibens

3  
V. 13. D. 30. V. 2. D. 59. V. 3. D. 31.  
V. 4. D. 12. V. 10. D. 23.  
1669, 14

# JURA DOTIUM,

ET

Amplissimæ Facultatis Juridicæ Lipsiænsis

Permissu

sub Patrocinio

VIRI ADMODUM REVERENDI, PRÆNOBILISSIMI,  
AMPLISSIMI, CONSULTISS: ATQVE EXCELLENTISSIMI

DN.

BARTHOLOMÆI LEONHARDI  
SCHVVENDENDÖRFFERI

JCti, Pand. P. P. Canonici Martisburgensis,  
Curiaæ Supremæ & Facultatis Juridicæ Assessoris  
meritissimi,

*Patroni jugi observantiæ cultu et atem venerandi*

ad d. 23. Decembr. A. Æ. C. clō Ibc LXIX.

publicè ventilandum

propositum.

à

PETRO Kâisern / Rambsd. Misn. Autore.

In JCtorum Collegio

H. L. Q. S.

---

LIPSIÆ,

LITERIS BAUERIANIS.





JURADICUM

Amplissima Facultas Juris et Jurisprudentie

LEONHARDI

et Jurisprudentie

LEONHARDI

LEONHARDI







7. N. 7.

## ANTELOGIUM.

**Q**uod convivis in exquisitissimo dapium apparatu; quod helluoni in refertissimo omnis vini genere oenopolio; quod hortum ingredienti in innumero florum numero usuvenire solet, ut scilicet quid primùm gustent carpantve nesciant; id disputaturis quoque usuvenire vel meo didici exemplo. Animus haud ita pridem erat periculum aliquod legale facere, & quid privata mihi hactenus profuerint subsellia, explorare publicè. Sed Deum immortalem! de Objecto disputationis futuræ cogitanti quàm grave & difficile experiebar principium; dum Tantalum alterum in undis sitire me sentirem. Usque adeò pauper eram in tam splendidâ rerum legalium opulentiâ! Hinc quærenti jura personarum occurrebant. Illinc vocabant res. Isthinc impellebant actiones. Arridebant primùm servitutis jura, nec hodie prorsus inutilia, sublatò quamvis pristino servorum Romanorum statu. Blandiebantur patria potestas, & quæ hanc constituunt, nuptiæ, legitimatio & adoptio. Sistebant se tutela & cura. Insequebantur rerum dominium, unâ cum modis, quibus idem jure Gentium acquiruntur. Aderant servitutes & reales & personales. Obviabantur juris Civilis rerum acquirendi dominia modi, singulares juxta ac universales. Jus in rem excipiebat obligatio ex contractu

A 2

non



non minùs quàm delicto prognata. Visebantur ad extremum tot actionum & exceptionum genera unà cum utilissimâ ipsius iudicii materiâ. Jam in latissimo hoc iurium campo, quo pedem hâc vice figerem certus, diu anceps hæsi. Tandem, quàm in præsentî exhibeo, DOTIUM selegi materiam. Materiam inquam jucundam non minùs quàm in praxi tritissimam. Hujus hâc vice jura breviter enucleabo. Ut ne autem neglecti reus fiam ordinis, rem omnem sequentibus *novem* Capitibus ita includam, ut *primum* dotium pertractet *ὀνοματολογίαν*, *secundum* Definitionem, *tertium* Divisionem, *quartum* Causam Efficientem, *quintum* Subjectum, *sextum* Objectum, *septimum* Formam, *octavum* Finem & Effectum, & *ultimum* tandem Contraria & Adjuncta. Verùm ne illotis, quod ajunt, manibus rem ipsam aggrediar, meritò laborum præsentium primordia à Divini Numinis invocatione ordiri cum Imp. nostro Sacratissimo fert animus, jubet pietas. Deum itaque Ter-Opt. Ter-Max. profelici & auspicio & successu hujus, quem dixi, laboris supplice prece veneror! Jam hoc jacto fundamento superstruo

## CAPUT PRIMUM

De

### Definitione Nominis.

§. I.

**Q**uamvis rerum potior quàm verborum cura habenda, & nominum disputatio pertinacibus relinquenda sit. *Gail. Lib. 2. de Pac. Publ. c. 1. n. 15.* ac in verborum usu faciles nos esse debeamus. *Cubach in Brocard. c. 20. pr.* de quæ verbis (quod *Bartolum* dixisse ferunt) non curet Jctus; attamen verborum non negligendam curam vel *Antistii Labeonis* exemplò edoctus (ut quem *Gellius Lib. 13. Noct. Attic. c. 10.* Latinarum vocum origines rationesque perculluisse, eaque præcipuè scientiâ ad enodandos juris laqueos

usum



usum fuisse testatur) vocabuli Dotis *ὀνοματολογία* ipsius rei Definitioni præmittere volui. Maximè cum rerum intelligentiam à verborum intelligentia pendere dicat *Plato in Cratyl.* horumque intellectum verum res tanquam in picta tabula subjicere & declarare, asserat *Rogerus in Tract. de jur. interpr. quest. 2. pr. n. 1.* Vocabula rerum notas esse evincat *Philosophus Lib. de interpr. cap. 1. & 2. adde quæ hanc in rem fusè congescit Cubach d. l. Brocard. duob. seqq. & eleganter deducit Henelius Tr. de Vet. Jctis cap. 4. §. 5. & seq. & verum maneat, quòd cognitò usu vocis sæpè in rei ipsius inducamur cognitionem, Aristot. 3. Metaph. 2. & 2. Top. 7.*

§. 2. Dotis itaque quod concernit *Etymologiam*, notum est, quòd hoc vocabuli quibusdam derivetur à Græco verbo *δίδωμι* vel *δίδω*, quod do, tribuo, largior, dono significat: aliis à dando, quia dabatur, unde & *Acron* interpres Horatii dotem definit esse donum puellarum nubentium. *Varroni lib. 4. de LL. in fin.* à Græco *δῶς* denominatur, quod vocabulum apud Græcos donum nuptiarum causâ marito ab uxore datum denotare neminem fugit. Jam utram ex his eligas derivationem perinde est, & res recidit eòdem.

§. 3. Cum verò & *Homonymum* dotis vocabulum esseprehendamus & juxta vulgatum: errorum genetrix sit æquivocatio semper, nihilque dubium aptum sit ad ambiguitatem tollendam *Imp. Zeno in l. 12. §. 2. C. de adif. priv.* ante omnia dotis, quod dixi, vocabulum ab hac æquivocatione liberandum censeo.

§. 4. Varios autem admittit significatus. *Improprie* & quidem *latisimè* si usurpetur, pro omni sumitur accessione ad sufficientiam rei alicujus vel personæ necessaria, *Vid. l. 52. §. 2. ff. de fidejuss. & mandat.* (ubi obiter nota per *dotes prædiorum* ibidem loci *Dd.* intelligi boves aratorios, stercora, aratra, ligones, pedamenta, vimina, stabula, casas, rastra, faccos, dolia & id genus alia prædiis destinata) *l. 2. §. 1. ff. de instr. & instr. leg. c. 8. X. de Consecrat. Eccl.* Sic *Plinius* ulmum vite dotatam; sic *Cicero* artem indotatam verborum dote locupletandam dixerunt.

§. 5. Latè sumitur pro eo, quod nobis præcipuum est, à quocumque etiam tale quid fuerit concessum. Hinc præclaris ingenii & corporis dotibus præditos perhibemus, quos vel ingenio præstare plurimum, vel decorâ corporis staturâ cernimus condecoratos. Sic



Rahel fecunda facta: dotavit me Deus dote bonâ, inquit Gen. 30. v. 23. Sic *Scholasticis* dotes appellari qualitates spirituum, quas beatorum corpora in vita æterna olim assument, quarumq; quatuor: impassibilitatem corporum, claritatem, agilitatem & subtilitatem numerant, videre est è *Hildebrand. Disput. Theol. 7. n. 41. & seq.*

§. 6. *Proprie* verò quando accipitur, refertur ad matrimonium, & vel titulum notat seu causam transferendi l. 47. §. ult. ff. de pecul. t. t. ff. pro dote. vel jus marito in re dotali competens l. 3. ff. de jur. dot. l. 20. C. eod. Vel deniq; subjectum, quod dotis nomine datur l. 1. ff. d. t. & hæc acceptio potissimum erit hujus loci.

§. 7. Συνομινωσ doti æquivollet illud, quando proprium mulieris patrimonium appellatur l. 3. §. 5. ff. de Min. item propria mulieris substantia l. 12. C. qui pot. in pign. Nostratibus audit *Ehestener/ Eheschat/ Ehegeld/ Mittgiff/ Heimsteuer/ des Weibes Einbringen.* Hæc de Definitione nominis. Sequitur

## CAPUT II.

De

### Definitione Reali.

§. 1. Dotem, quatenus est subjectum ipsâ constitutione in dotem quasi animatum, definire placet cum *Dn. Strauch. Dissert. 3. ad univers. jus justin. priv. aph. 2.* quod sit patrimonium vel substantia rerum nomine uxoris in maritum translatarum ad sustinenda matrimonii onera.

§. 2. Generis locò posita sunt verba: *patrimonium vel substantia rerum.* Et illud quidem per l. 3. §. 5. ff. de Minorib. l. 16. ff. de relig. & sumt. fun. hoc verò arg. l. 51. ff. de petit. hered. l. 3. §. 5. ff. de contr. tut. & util. act. l. 12. C. qui pot. in pign. Hæc duo autem quæ dixi vocabula pro synonymis haberi, alterumq; per alterum explicari (non secus atq; verba: *Vis ac potestas* in definitione tutelæ. §. 1. *Inst. de tutel. manui & potestati in pr. Inst. de libertin.*) palàm est. Et nimirum denotant eadem totum quid, sicut animal significat integram substantiam animatam, sive universitatem quandam rerum multarum in dotem datarum. Rationem assignat *Strauch. d. l. hanc scil. quod fru-*



fructus dotem augentes doti computentur. *Vid. infr. cap. ult. Et facit præterea l. 1. §. 4. ff. de dot. præleg.* Non itaq; h. l. rectè per rem singularem, multò minùs per jus à re abstractum (quod facit *Vultejus Inst. de Nupt. §. 14. n. 3.*) nec per donationem (quod quidam arg. l. ult. C. de donat. ante nupt. faciunt) definitur, *Vid. Strauch. d. l. Hillig. ad Donnell. lib. 14. Comment. jur. Civ. c. 4. Vinnius ad tit. Inst. de Donat. §. 3. & præ reliquis Beust. in Tr. de dote c. 2.*

§. 3. Cùm autem triplex in jure nostro detur universitas, juris alia, alia facti sive corporum, & denique mixta alia l. 1. ff. de hered. pet. l. 76. ff. de judic. l. 56. ff. de R. V. arg. l. 40. §. 1. ff. de pecul. junct. d. l. 1. §. 4. ff. de dot. præleg. sciendum, dotem nec juris, nec facti, sed mixtam esse universitatem, h. e. partim juris, partim facti, d. l. 40. ff. de pecul. l. 10. ff. de pecul. leg. l. 1. §. 4. ff. de dot. præleg. Vide sis *Anton. Guibert. Costan. Comment. de dot. n. 5. & 6.*

§. 4. Reliqua verba *Differentiam Specificam*, eamq; partim ab *Objecto*, rebus in dotem dari habilibus, de quibus *infra cap. 6.* partim à *Subjecto* vid. *cap. 5.* partim à *Forma* vid. *cap. 7.* partim à *Fine & Effectu* vid. *cap. 8.* desumptam insinuant.

### CAPUT III, De Divisione.

§. 1. Definitionem dotis realem rectò nunc ordine excipit *Divisio ejusdem.*

§. 2. Solent autem Dd. dividere dotem potissimùm ad instar peculii §. 1. *Inst. per quas pers. cuiq; acqv. in profectitiam & adventitiam.* *Vid. l. un. §. 1. C. de R. U. A. l. 5. pr. & §. 9. ff. de jur. dot.*

§. 3. Illam dicunt, quæ à patre vel etiam ab alio, intuitu tamen patris, constituitur d. l. 5. pr. & §. 2. ff. de jur. dot. Hinc si quis patri donaturus dotem dedit, hanc quoque profectitiam esse verum est. d. l. 5. ff. h. t. Ut & eam, quam patre promittente fidejussor solvere tenetur. d. l. 5. §. 7. Sed quæritur, quòd si pater fortè hereditatem, vel legatum repudiaverit, dotis constituendæ gratiâ, num & hæc profectitia dici mereatur? negat. d. l. 5. §. 5. d. t. quia nihil erogavit de suo pater, sed saltem non acquisivit. Idem statuendum de illâ, quam  
pater



pater alio eandem promittente ut fidejussor solvit, quamvis à reo id, quod solvit, servare non possit. *d. l. 5. §. 6.* Item si certam quantitatem dono accepit, ut eam pro filiâ daret. *d. l. 5. §. 9.*

§. 4. Hanc, adventitiam, vocant, quam extraneus constituit, *Ulp. d. l.* Dicitur autem h. l. extraneus omnis ille, qui citra necessitatem, nec ut pater dotat. Illud nota: dotem, quam extraneus sub eâ lege dat, ut solutô matrimoniô eandem recipiat ipse, in specie vocari *receptitiam*. Vide sis *Dempst. ad Rosin. Antiqu. Rom. Lib. 5. cap. 37.*

§. 5. Porrò & secundò dos alia *estimata* est, alia *inestimata*. Verùm de hâc ipsâ divisione *infra cap. 7. sub Forma* pluribus dicetur.

§. 6. Tertio vel *voluntaria* est vel *necessaria*. De quâ re itidem plura dicam *infra cap. 5. sub Subjecto*.

§. 7. Quarto vel *definita* est vel *indefinita*. *Vid. infra cap. 7.*

§. 8. Quintò vel *vera* est, quæ matrimonio justo ac legitimo accedit; vel *putativa*, quæ injusto & illegitimo. *l. 22. §. fin. ff. sol. matr. l. 17. §. 1. ff. de reb. aut. jud. possid. Glossa in l. dotale verb. prestaretur. ff. de fun. dot.* Verùm putativam quod attinet, illa magis dos dicitur, quàm ut talis revera sit. *Vultej. ad tit. de nupt. n. 12.* & per accidens hætenus saltem pro dote censetur, quatenus non minus atque vera & legitima, ubi nihil ex parte fœminæ peccatum est, privilegia habet sui repetendi *arg. l. 18. ff. de reb. aut. jud. possid. d. l. 22. §. 2. ff. solut. matr. Hahn. ad Vvesenb. ff. de jur. dot. n. 2. verb. hæc tamen prerogativa.* Tantum de Divisione.

## CAPUT IV.

De

### Causa Efficiente.

§. 1. *Causam* dotis *Efficientem* duplicem facio, *Remotam* aliam, aliam *Proximam*.

§. 2. *Remota* est jus Civile, & hoc tum *per l. 19. ff. de R. N. l. 2. ff. de jur. dot.* tum quòd nuptiæ, quibus dos accedit, sint juris Civilis *pr. Inst. de nupt.* *Vid. Hahn ad Vves. de jur. dot. n. 1.* Falluntur ergò, qui eandem juri vel naturali *arg. l. 8. ff. de cap. demin.* Vel Gentium (mores si spectentur hodierni, olim enim Gentibus multis, e. g. Græcis, Egyptiis,



ptiis, Indis, Hetruscis, Babylonis, Germanis veteribus: Gothis &c. dotes exosa, & solum vertere iussa testibus *Plutarch. in Apophth. in Lycurg. Beust. Tr. de connub. part. 2. in praef. Zoving. in theatr. vit. hum. Vol. 3. lib. 7. rubr. opulentia. Godofr. ad l. 1. ff. sol. matr. lit. d. Tacitus de mor. German. cap. 18. Joh. Magn. lib. 7. c. 9. & antiqvo jure Saxonum indotatas fuisse mulieres docet Heig. p. 1. qu. 8. n. 65.) adscribunt.*

§. 3. Proximam Causam dotis Efficientem constituunt modi, quibus dos constituitur, de quibus *infra cap. 7. sub Forma videbimus.*

## CAPUT V.

De

### Subjecto.

§. 1. *Subjectum* dotis est vel *relatum* vel *correlatum.*

§. 2. *Relatum* constituunt personae dotem constituentes.

§. 3. Constituunt autem, quam dixi, dotem vel (1) *mulier* *Strauch. Diff. 3. aph. 3. Quodsi minorennis adhuc sub cura existat. Curator eandem pro modo facultatum & dignitate mariti dotare tenetur. l. 60. ff. de jur. dot. l. 43. §. 2. ff. de adm. tut. vel (2) Pater & avus paternus. qui ad dotandam filiam vel neptem habilem vid. infra §. 7. & seqq. legis quaedam necessitate adstricti sunt l. 6. ff. de collat. l. fin. §. neq. enim. C. de dot. promiss. in tantum, ut etiam judicis officio (ubi obiter nota, dotem non deberi jure actionis, sed officio judicis. Vid. *Carpzov. p. 2. C. 42. D. 12. n. 2. & D. 13. n. 2. Jurispr. for.*) ad id cogi queant l. 19. ff. de R. N. d. l. fin. §. neq. enim. C. de dot. promiss. & paternum dicitur officium dotem dare pro sua progenie d. l. ult. C. d. t. Hinc si filius pecuniam mutuam acceperit, ut eam pro dote sororis daret, pater actione de in rem verso tenetur l. 17. ff. de SCto Maced. non obstante quod ex mutuo neq. filiusfam. neq. pater ejus teneantur d. t. t. ff. de SCto Maced. nec semel tantum, sed etiam ad secunda vota transuentem filiam dotare pater tenetur. *Nov. 17. c. 5. l. 19. ff. de jur. dot. vid. Coll. Arg. Tom. 2. Tit. de jur. dot. th. 5.* Caeterum procedunt de patre avove haec dicta quoad hunc quidem solum in casu ubi pater dotem filiabus conficere non potest, *Anton. Guibert. Costan. d. Tract. cap. 3. n. 23. quoad utrumque vero in casu ubi divites sunt.**

B

l. 10.



*l. 10. §. 14. ff. quæ in fraud. Cred. l. ult. eod. Vid. Carpzov. p. 2. Const. 42. def. 12. n. 3. Jurispr. for.* Quodsi sponsus puellâ totâ semel contentus fuerit, dotem ex postfacto à parente petere, eumve ad id cogere non potest, nempe cessante coactionis causâ, honestâ nubendi conditione quærendâ. *Strauch. d. l. aph. 4. vel (3) extraneus quivis l. 33. ff. de jur. dot. l. 28. C. eod.* cujuscunque sexus sit & conditionis, (unde etiam mulieribus pro dote danda fidejudentibus Sctum Vellej. nil quicquam opitulatur. *l. 12. l. ult. C. ad Sctm Vellej.*) cum in arbitrio cujusque situm sit de suo largiri & dotes puellis dare, *l. un. §. 13. C. de R. U. A. l. 41. ff. de jur. dot. l. 21. C. mand. l. 9. C. de jud.* & vel maxime cum duplex favor hic occurrat publicus & piæ causæ *l. 1. ff. sol. matr. l. 64. ff. de cond. & demonstr. Ant. Guibert. Costan. d. Traët. de dot. cap. 3. n. 1.*

§. 4. Ut autem pater & avus paternus necessariò, ita extraneus non nisi voluntariò dotat. *l. 14. C. de jur. dot. l. 45. ff. sol. matrim. l. 13. §. 2. l. 12. §. 3. in fin. ff. de adm. tut. l. 1. §. 4. 5. ff. de tutel. & ration. distrab.*

§. 5. Et patet hinc ergò quid statuendum, quando de matre quærun, an filiam dotare cogatur? scilicet ad dotis constitutionem legis necessitate eam non adstringi. *l. 14. C. de jur. dot.* nisi ex magna & probabili (qualis e. g. est inopia patris, matris contra opulentia) vel lege specialiter expressâ (sic mater hæretica filiam orthodoxam dotare tenetur. *l. 19. §. 1. C. de heret.*) causâ, *d. l. 14. C. de jur. dot.*

§. 6. De fratre etiam quærun, an & ille ad sororem dotandam sit cogendus? & adfirmant quidam *arg. l. 13. §. 3. ff. de admin. & peric. tut.* sed negativa verior est. *Vid. Strauch. Dissert. 3. aph. 5.* Hæc de Subjecto Relato.

§. 7. *Correlatum* Subjectum dotis est persona dotanda. Et hæc regulariter filia vel neptis est, eaque naturalis & legitima simul (h. e. ex justis nuptiis procreata) inque potestate patris dotantis existens *l. 19. ff. de R. N. l. fin. §. neq<sub>3</sub> enim. C. de dotis promissione. l. 5. §. 12. l. 51. ff. de jur. dot.*

§. 8. Et fluit hinc (i) *naturalem* à patre præcisè dotandam non esse. Ut ut enim naturali pater ad alimenta teneatur, inde tamen non sequitur teneri quoque eidem ad dotem vel ad legitimam. *fac. l. 41. §. 11. ff. de leg. 3.* Quodsi tamen nihilominus dotem ei adsignet,  
in



in dubio non videtur pater naturalis habere animum donandi, sed magis compensandi cum alimentis, quæ filia debet. *Bart. in summ. d. l. 41.*

§. 9. Multò minùs (2) *spuriam incestuosam* dotare cogetur, cum huic ne alimenta quidem debeantur. *Auth. ex complexu. C. de incest. nupt.* licet non negem, posse & hanc & illam, maximè si ita sint inopes, ne conditionem nubendi invenire aliter possint, *arg. l. 2. ff. de jur. dot.* humanitatis intuitu moderatè dotari.

§. 10. Patet hinc (3) nec *emancipatam* præcisè à patre dotandam esse. *Vid. l. 5. §. 12. l. 51. ff. de jur. dot. l. 44. pr. eod. add. l. 5. §. fin. ff. eod. §. l. ult. C. de dot. promiss.* ex quibus patet, quid juris, ubi filia emancipatæ pater Curator existens pro ea dotem constituerit, an ut pater, an verò ut Curator eandem constituisse censendus.

§. II. Cæterum fallunt hactenus dicta, & pater filiam legitimam inque potestate constitutam dotare non tenetur (1) quando pater est orthodoxus, filia contrà hæretica. *l. 19. C. de heret. cum hæresis sit crimen publicum, & in omnium feratur injuriam l. 4. C. d. t.* Unde & propter hæresin exheredari planè possunt liberi. *Nov. 115. c. 3. §. 14.* (2) in casu, ubi absque dote honestam jamdum nubendi conditionem invenit filia, eaque solâ *per supra §. 3.* dicta sponsus semel contentus fuit. (3) in casu ubi filia adeò locuples est, ut seipsam exhibere & dotare queat. *arg. l. 22. §. pen. in fin. ff. ad SCtm Treb. arg. l. 9. ff. de in rem vers. Vid. Dn. Strauch. d. Diss. 3. aph. 4. Carpzov. p. 2. Const. 42. Def. 13. n. 4.* Ut ut nec improbanda penitus videatur *Arnold. Vinn. lib. 2. select. jur. quest. C. 14.* sententia, distinguentis, an filia habeat quædam bona libera plenò jure ex bonis maternis, aut aliunde, quorum usumfructum non habet pater, unde honestè pro conditione suæ personæ dotari queat: an verò nulla bona propria habeat, aut nudam tantùm bonorum proprietatem usufructu apud patrem constitutò. Priore casu statuit, patrem ad dotandam eam cogi non posse: posteriore verò aut dotandam à patre filiam, aut remissò usufructu, quem in bonis filia habuit, plenum eorum jus ex causa dotis in filiam transferendum esse. (4) in casu ubi filia à patre justa de causa (quas in universum omnes recenset *Nov. 115. c. 3.* ita ut præter illas nec majores nec similes admitti veriùs sit) est exheredata. *Vid. Perez. in C. d. dot. promiss. n. 6.* (5) in casu ubi filia minorennis (*vid. l. 18.*



§ 20. C. de nupt.) irrequisitō consensu patris, quamvis alioquin digno nupsit. Quia enim hoc casu nullæ nuptiæ (cum consensum parentum ad nuptias liberorum de jur. & Civ. & Can. requiri pateat ex l. 2. ff. de R. N. pr. Inst. de Nupt. & Can. 3. Caus. 30. qv. 5. Can. 12. Caus. 32. qv. 2. in fin.) ergo etiam nulla dos. l. ult. ff. de st. hom. §. 12. Inst. de nupt. siquidem sublatō principali accessorium subsistere non potest per *Vulgata*: dotem autem sine matrimonio esse non posse evincit l. 3. ff. de jur. dot.

§. 12. De matre quæritur, an hæc quoque à filio præcisè dotanda? & negativa verior est per l. 13. §. 2. ff. de adm. tut. l. 1. §. 4. & seq. ff. de tutel. & ration. distrab. Vid. Colleg. Arg. Tom. 2. Tit. de jur. dot. th. 5. sub fin.

§. 13. Quæritur item de sororibus an à fratre dotandæ? Communiter inter consanguineam & uterinam distinguunt. *Duaren. ad tit. solut. matrim. in tract. de dot. & dot. jur. c. 3.* Sed rectius simpliciter negatur, quia nulla ratio cogit fratrem præstare, quod utiliter tutor impensis ipsius imputare potest. *Strauch. sæpius citat. Diss. 3. aph. 5. adde Colleg. Arg. d. l. Tantum de Subjecto.*

## CAPUT VI.

De

### Objecto,

§. 1. Objectum dotis constituit res, quæ in dotem datur.

§. 2. Dari autem in dotem possunt res omnes commercio hominum non exemptæ, tam corporales, quam incorporales. l. 7. §. 2. & 3. l. 66. ff. de jur. dot. l. 13. §. 10. ff. de hered. petit. l. 6. C. de usufr. l. 2. C. de O. & A. l. 77. ff. de jur. dot. tam mobiles quam immobiles. l. 42. ff. d. t. l. 30. C. eod. l. un. §. 7. C. de R. U. A. tam propriæ quam alienæ l. 6. §. 1. l. 81. ff. d. t. l. 11. solut. matrim. (scilicet, ut quoad alienas non earum dominium, sed solum usucapiendi conditio in maritum transferatur. r. t. ff. pro dot. neque enim dominus impeditur jus suum prosequi. l. 34. l. 67. ff. de jur. dot. Evieta autem hoc casu dote succurritur marito per actionem contra dantem. l. 34. l. 67. ff. de jur. dot. nisi scientia eum excludat l. 13. C. eod.) etiam bona universa. l. 72. ff. d. t. l. 14. C. eod. (quantumvis



tumvis adjectō pactō de lucranda dote. *Vid. Bachov. ad Treutl. vol. 2. disp. 7. th. 4. lit. e.*) exceptio est ubi (1) mulier dotem ejusmodi constituens fuit minorennis. *l. 9. §. 1. ff. de min. l. 1. C. si adv. dot.* (2) decepta sive circumventa *d. l. 1. C. d. t.* hōc enim casu succurritur ei ex bono & æquo *l. 6. §. 2. ff. de jur. dot.* (3) hoc fecit in fraudem alicujus liberorum. *t. t. C. de inoff. dot.* etiam prioris matrimonii *l. 6. C. de secund. nupt.*

§. 3. Illud hīc qværi solet, num bona mulieris in dubio dotalia an paraphernalia præsumantur? pro cujus qvæstionis meliore intellectu sciendum, bona mulieris esse triplicia: (1) *dotalia*, de quibus hīc. (2) *paraphernalia*, vulgò *unverändert Guth/ des Weibes Neben-oder einhands Guth.* (3) *receptitia*, nostratibus *Spielgeld.* Hæc perfectè & absolutè etiam ratione administrationis ad mulierem spectant. Illorum dominium ad uxorem, administrationem verò & usumfructum ad maritum pertinere dicit *Bachov. ad Treutl. vol. 2. disp. 7. th. 9. adde Colleg. Argent. Tom. 2. Tit. de jur. dot. th. 26. & seq.* Istorum per *infra cap. 8.* dicenda maritus fit dominus. Jam ad qvæstionem propositam respondeo negando prius, ex ratione quod constitutio dotis fit facti *l. 1. C. de jur. dot.* qualia non præsumuntur, sed probari debent per vulgata. *Conf. Finckelth. obs. 118. & Bachov. d. l.*

§. 4. De feudo & an hoc quoque in dotem dari possit qværitur? & negant *Dd.* nisi illud sit fœmineum *2. feud. 9. §. 1.* Idque inæstimatò *arg. l. 11. cum ll. seqq. ff. de jur. dot.* nec appositō pactō de lucranda dote datum. *Vid. Strauch. Diss. 3. aph. 8.* Hodie tamen, & si filia ex bonis allodialibus sive hereditariis dotari non possit, ex feudo dos congrua ei ad arbitrium domini præstari solet, solâ æquitate id suadente, usque adeò, ut dotatio filiarum inter ordinaria feudorum onera connumeretur. *Finckelth. disp. feud. 9. th. 19. n. 3. Const. Elect. Sax. 46. p. 2. Rauchb. p. 1. qu. 38. n. 1. Carpzov. tract. de jurib. fœm. sing. decad. 5. pos. 1. n. 19. 30. 31.* Tantum etiam de Objecto.

## CAPUT VII.

De

### Forma.

§. 1. Forma dotis consistit in modis quibus constituitur.

B 3

§. 2.



§. 2. Dico : *Constituitur*. Neque enim confundenda est dotis constitutio cum ejusdem *promissione*. Quando promittitur, tunc mediante vel stipulatione *l. 20. ff. de jur. dot.* vel pacto legitimo. *l. 6. C. de dot. promiss. l. un. pr. C. de R. U. A.* illud ipsum contingit. Et quidem promittitur dos vel *definitè* vel *indefinitè*. Quò posteriore casu cum *Strauch. Diss. 3. aph. 10.* ita distingve: aut dos indefinitè promissa est adjectò arbitrò; ubi si arbitrium fuerit secutum, valet promissio: aut nulla facta mentio arbitri, & subdistingvitur inter promittentem patrem & mulierem ipsam; de patre ita indefinita promissio valet, quia cum teneatur dotare, etiamsi non promiserit, frustra moras necit excipiendo se incertum quid promississe; mulier autem vel extraneus non tenentur, quia matrimonium etiam sine dote potest subsistere; in muliere autem nulla est promissio propter incertitudinem. *l. 1. C. de dot. promiss.* Verùm dos promissa propriè dos non est. *Colleg. jur. Argent. Tom. 2. tit. de jur. dot. th. 10.* & promissione non dos, sed dotis constituitur obligatio. *Colleg. Argent. d. l.* Competit siquidem hoc casu marito vel actio ex stipulatu stricti juris, sicubi per stipulationem *l. un. C. de R. U. A.* vel condictio ex lege, sicubi pacto legitimo promissa. *l. 6. ff. de pact. junct. l. 6. C. de dot. promiss. l. un. ff. de condict. ex leg.* habetque interea temporis jus tacitæ hypothecæ in bonis promittentis, absque tamen prælatione. *Strauch. d. l. aph. 12.* Illud h. l. non incongruè quæritur, an uxor ob dotem promissam nec illatam domò expelli jure possit? & negatur per *Novell. 22. c. 18. vers. si quis enim duxerit. Hahn. ad Vvesenb. de jur. dot. n. 6. Hac de dotis promissione.*

§. 3. Modi, quibus actu ipsò dos *constituitur*, sunt (1) *ultima voluntas* patris aliusve constituentis, (non & mulieris ipsius *l. 48. §. 1. l. 76. ff. de jur. dot. l. 71. §. 3. ff. de condit. & demonstr. d. l. 76. in fin.* ob rationem ibidem appositam, quia scil. dos non est, nisi oneribus matrimonii inserviat) *adde Menoch. lib. 4. presunt. 189. n. 4.* ubi habet, quod si pater simpliciter aliquid testamento reliquerit filia, intelligatur & præsumatur dotis nomine reliquisse. Notandum etiam h. l. si in testamento inter legata alia dos fuerit relicta, & in Codicillis postea clausula diminutiva legatorum in testamento factorum adjecta, quod talis diminutio non referatur ad legatum dotis. *arg. l. 18. §. 3. de alim. leg. Bart. in l. 14. d. t.*

§. 4.



§. 4. (2) *Traditio*; vid. l. 46. ff. de jur. dot. l. 3. ff. de usufr. eaque vera non minus d. l. 46. d. t. quàm ficta, puta quæ vel cautione l. 3. §. si iter. ff. de act. empt. vel patientiâ. l. 3. ff. de usufr. vel acceptilatione l. 41. §. 2. ff. de jur. dot. vel delegatione d. l. 41. §. 3. l. 56. l. 80. pr. ff. eod. vel cessione l. 2. C. de O. & A. vel debiti remissione l. 58. §. 1. l. 59. l. 77. eod. contingit.

§. 5. Porrò ad formam dotis pertinet, quod eadem vel *æstimatò* vel *inæstimatò* detur l. 10. & seq. l. 52. ff. de pact. dot. Quamquam propriè res dotales sint, quæ inæstimatæ in dotem dantur arg. l. 10. C. de jur. dot. l. un. C. de R. U. A. Circa quod nota, dupliciter res æstimatas in dotem dari. Aut enim ita dantur, ut inter dantem & accipientem contrahatur emptio-venditio l. 10. §. 4. §. 5. l. 16. ff. de jur. dot. l. 5. ff. solut. matrim. aut æstimatio taxationis saltem gratiâ adjicitur, ut scil. res eòdem pretiò restituantur. Distinctionis hujus usus consistit in eo: inæstimatò ubi datæ marito sunt res dotales, periculum earum spectat ad mulierem non solùm, sed eadem solutò matrimoniò in individuo sunt restituendæ. Æstimatò verò ubi datæ sunt, & quidem ita, ut emptio-venditio fuerit contracta, periculum est mariti, & restituendum solutò matrimoniò pretium earum; si taxationis gratiâ adjecta æstimatio, videndum, an res solutò matrimoniò adhuc extent, an casu interierint. Priore casu restituendæ res ipsæ, eòdem tamen pretiò, quò datæ; posteriore pretium. Vid. l. ult. pr. ff. de pact. dot. l. 20. C. de jur. dot. l. 50. l. 66. §. 3. solut. matrim. l. 18. ff. de jur. dot.

§. 6. Ad formam dotis ejusdem quoque spectat *quantitas*, quæ apud varios populos varia & ipsa extitit. Vid. Dempst. in Paralip. ad Rosin. Antiq. Rom. lib. 5. cap. 37. Arnise: in Commentar. Polit. de jur. Conub. c. 3. n. 18. Cujac. lib. 11. Qu. Papin. ad l. 39. ff. solut. matrim. Colleg. Argent. d. l. th. 9. In jure nostro dotis quantitas non definitur, sed illud saltem edicitur, ut nimirum pater dotem pro modo facultatum & dignitate mariti constituere debeat. l. 69. §. 4. ff. de jur. dot. in extranei ver cujusvis arbitrio sit, quantum in dotem dare velit, modò speciem aut quantitatem definiat. l. 1. l. 3. C. de dot. promiss. add. §. 2. hujus cap. dicta.

§. 7. Tandem ad formam dotis & *pacta dotalia*, vulgò die *Ehestiftungen*/pertinent, quæ plerumque de dotis quantitate, lucro, modo,



do, æstimatione &c. concipiuntur. *l. 1. § t. t. ff. de pact. dot.* eaque vel in vim ultimæ voluntatis coram quinque testibus facta (*Confer. Hahn. ad Vvesenb. de pact. dot. n. 4.*) de futura simul conjugum successione disponunt, & jure Civili improbantur *l. ult. ff. de suis & legit. l. 3. C. de Collat. l. 15. l. 19. C. de pact.* moribus verò hodiernis valent, & ad instar ultimæ voluntatis aliis revocari etiam alterò invitò & ignorante possunt. *Strauch. Diss. 3. aph. 11. Dn. Philipp. lib. 3. Us. Pr. Inst. Eccl. 95. Adde Struv. Ex. 30. th. 19. Syntagm. jur. Civ. vel ipsam solùm dotem ejusque repetitionem respiciunt; & valent ut actus inter vivos gestus, nec revocari regulariter possunt. Strauch. d. l. Vid. Hahn. ad Vvesenb. ff. de don. inter V. & U. n. 4. Colleg. Arg. Tom. 2. Tit. de pact. dot. th. 2. § seqq. Tantum de Forma,*

## CAPUT VIII.

De

### Fine & Effectu.

§. 1. *Quem in finem dotes dentur palàm fit ex verbis definitionis: ad sustinenda matrimonii onera.* Per quæ verba *Dempst. in Paralip. ad Cap. 57. lib. 5. Antiq. Rom. Ros.* intelligit liberos communes. Minùs commodè. Hòc enim concessò sequeretur dotem profectiam filiã in matrimonio defunctã extantibus ex eo matrimonio liberis non ad patrem redire, sed manere penes maritum *contra l. 26. §. 2. ff. de pact. dot. Vid. Cap. seq. §. 4.* Rectiùs itaque per onera matrimonii omnia illa intelliguntur, quibus ad sustentationem familiæ suæ opus habet maritus.

§. 2. *Effectus dotis potissimus est à parte mariti acquisitio domini in re dotali.* Ut ut enim difficillimum dicat *Dempster. in Paralip. ad Ros. Antiq. Rom. lib. 5. c. 37.* dijudicare, quis propriè dominus dotis dici possit; patet tamen ex innumeris legibus citatis *Strauch. Diss. 3. aph. 13.* ad quem brevitatis studiò me hìc refero, maritum, constante matrimoniò dominium rerum dotalium, ut dotalium, omninò habere, nec mulierem earundem, hãc eãdem scil. ratione, dominam uspiam dici; & dominam quidem esse eandem rei ejusdem, sed non eãdem ratione, verùm naturaliter. *l. 30. C. de jur. dot. h. e. fecun-*



secundum naturalem rei rationem, non *ex* à jure impositam.

Breviter ita rem habe: *Uxor corporis, maritus dotis habet dominium.*  
l. 5. pr. ff. de de impens. in res dot. fact.

§. 3. Fluit hinc porro, maritum fructus constante matrimonio ex re dotali (an & paraphernali? Vid. Bachov. ad Tr. vol. 2. disp. 7. th. 9. lit. b. ubi multis hac de re disputat, tandemque concludit, quod ipsa permissione administrationis bonorum paraphernalium à muliere marito facta simul jus percipiendi & consumendi fructus permixtum videatur; & hoc vel maxime ideò, quod maritus non sit simplex administrator, inque dubio fructus in usus communes consumsisse, praesumatur) perceptos lucrari. l. 20. C. de jur. dot. l. 7. ff. eod. thesaurumque in fundo dotali inventum pro dimidio marito cedere. l. 7. ff. solut. matrim. & si qui similes domini sunt effectus.

§. 4. Ut autem per haec dicta rei dotalis maritus sit dominus, dominium tamen non usque liberum, sed restrictum habet; siquidem res dotales immobiles (mobiles enim, pretiosas etiam, & quae servandò servari possunt, licite alienat, etiam ubi solvendo non est l. 3. §. 2. ff. de suis & legit. l. 3. C. de jur. dot. l. 1. & ult. C. de serv. pign. dat. Vid. Godofr. ad l. 42. ff. de jur. dot. adde Riem. decad. 2. qu. illustr. 9.) inestimato datas, vel taxationis saltem gratia aestimatas regulariter alienare nequit; ne quidem consentiente uxore. pr. Inst. quibus alien. lic. vel non. l. 30. C. de jur. dot. t. r. ff. & C. de FunDOt. Philipp. lib. 2. Eccl. 40. Us. Pr. Inst. ne scil. sexus muliebris fragilitas in perniciem substantiae dotium convertatur. pr. Inst. h. nisi vel mulier de jure Canon. consensum iuramentò firmaverit, arg. cap. 7. de jurej. in bto. vel necessitas urgeat. l. ult. ff. de jur. dot. l. 1. ff. de FunDOt. maxime cum alias quoque necessitas non habeat legem. Conf. quae late & accurate ad hanc regulam commentatus est Magnif. Paulus Vagnerus, Jctus & Reipubl. oppidanæ hic loci Consul &c. &c. in disput. inaugurali) vel testamentò & per universitatem id fiat per l. 62. ff. de acqu. rer. dom. l. 1. §. 1. ff. de FunDOt. & accedit ratio, quod multa, quae sola alienari nequeunt, per universitatem transeant, & una cum ea transferantur. arg. l. 24. ff. de contrah. empt. junct. §. 8. Inst. de rer. divis. item, quod in omni negotio id potius spectandum, quod fit principaliter, & non quod per consequentiam. Vid. Hunn. l. 2. Var. Res. jur. Civ. Tr. 4. qu. 16. plures exceptiones recenset Pensold. in addit. ad Coler. decis. 223.

C

§. 5.



§. 5. De jure Saxonico fundum dotalem etiam inæstimatò datum alienari à marito posse volunt, modò interveniat consensus utriusque conjugis, & respectivè Curatoris alterius, nec non magistratùs rei sitæ autoritas & causæ cognitio. *Constit. Elect. Saxon. 42. part. 2. & Carpzov. in Defin. ibidem. Item part. 2. Const. 15. Defin. 21. Jurisprud. Forens. adde Pensold. & Philipp. dd. ll.*

## CAPUT IX. & ultimum.

De

### Contrariis & Adjunctis.

§. 1. *Exspirat dos regulariter solutò per maritum* (quodsi enim mulier culpâ suâ divortio causam præbuerit, àqve patre emancipata, vel pater defunctus sit, eò casu dotem lucratur maritus. l. 71. ff. de evict. vid. Hahn. ad VVes. ff. solut. matrim. n. 3.) *matrimonio l. 3. ff. de jur. dot. & restituenda venit à marito vel uxori vel patri ejus.*

§. 2. Illi regulariter restituitur dos adventitia ( nisi receptitia sit, quæ ei, qui dedit, restituenda ) l. 2. l. 22. ff. solut. matrim. l. un. §. 13. C. de R. U. A. l. 9. in fin. C. de pact. conv. nec distinguendum videtur cum *Strauchio d. l. aph. 17. inter emancipatam & non emancipatam. Vid. Bachov. ad Tr. vol. 2. disp. 7. th. 10. lit. c. jung. Hahn. ad VVes. solut. matrim. n. 3.*

§. 3. Profectitia dos restituitur patri unâ cum filiasam. An & emancipatâ? ita quidem vult *Dn. Strauch. d. l. fortassis tamen hanc dotem emancipatæ soli restituendam rectius defendit Hahn ad VVes. ff. solut. matr. n. 3. per l. 71. ff. de evict. l. 5. de divort. & l. 7. C. solut. matr. add. Bachov. ad Treutler. vol. 2. disput. 7. th. 10. lit. c.*

§. 4. Et hætenus quidem dicta obtinent in puncto *divortii*. Solutò autem per *mortem* uxoris matrimonio dos profectitia ad patrem redit. l. 6. pr. ff. de jur. dot. l. 10. ff. solut. matrim. etiam liberis relictis l. 26. §. 2. ff. de pact. dot. ( Contrarium tamen hoc in casu servat Praxis, liberis eandem attribuens, teste *Hahn. ad VVesenbec. d. l. & Giph. ad l. un. C. de R. U. A.* ) Adventitiam jure veteri lucrabatur maritus: hodie secus est hæredibus uxoris eandem acqvirentibus. d. l. un. §. illo procul. C. d. t. nisi pactis dotalibus aliter conventum, vel Statutum in contrarium adsit.

§. 5.



§. 5. Datur autem ad repetendam dotem actio ex stipulatu  
b. f. contra maritum (aut parentem ejus. *l. 15. §. ult. l. 16. ff. sol. matr.*)  
*l. un. §. 1. & 2. C. de R. U. A.* ita tamen, ut ne ultra quàm facere tem-  
pore rei judicandæ potest, condemnari queat *§. 39. Inst. de act. l. 12. ff.*  
*sol. matrim.* (exceptio est ubi extraneus dotem repetit. *arg. §. 39. Inst.*  
*de act. l. 15. §. ult. ff. sol. matrim.* vel quando maritus dolò fecit, quo mi-  
nus solidum solveret. *l. 18. §. 1. ff. d. t.*) quemadmodum nec fidejus-  
forem pro dote conservanda vel restituenda dare cogitur. *t. t. C. ne*  
*fidejuss. dot. dentur.* Imò nec sponte mariti validè fidejussor datur. *He-*  
*ring. de fidejuss. cap. 6. n. 156. Strauch. diss. 3. aph. 19.* (qui tamen *Diss. 14.*  
*aph. 15.* contrarium defendit) *Hartm. Pist. obs. 35. Anton. Fab. in Cod.*  
*ad d. t. C. ne fidejuss. & c.* & ratio est in promptu, ea scil. quòd hòc ad-  
missò, aperta esset via fraudandi legem, siquidem eàdem facilitate,  
quã inducitur vir ad dandum fidejussorem, induceretur etiam fraude  
mulieris ad dicendum, se ultrò obtulisse eum. Quid enim non pot-  
est fœmina? Verba sunt *Perezii ad d. t. C. ne fidej. dot. n. 3.* exceptio  
est, ubi pater jus repetendæ dotis habens fidejussorem exigit, quod  
facere potest, *Bachov. ad Trentl. vol. 2. disp. 7. th. 4. lit. h.* Idem obtinet  
in extraneo dotem dante. *vid. l. 51. ff. de jur. dot. ibiq. Godofr. Perez in*  
*Cod. d. t. n. 4. Bachov. d. l. idem requirit etiam Colleg. Arg. de jur. dot.*  
*th. 22. in casu, ubi maritus vergit ad inopiam per cap. 7. X. de don. in-*  
*ter V. & U.*

§. 6. Cæterum locus est huic actioni regulariter non nisi solu-  
tò, ut *suprà §. 1.* hujus cap. dixi, matrimonio. Constante enim tum  
demum locum habet hæc actio, quando maritus vergit ad inopiam  
*l. 29. C. de jur. dot. l. 24. pr. ff. sol. matrim.* nisi scienter obærato (vel pro-  
digaliter sumtuoso, *vid. Gail. 2. obs. 84. n. 1.*) nupserit, quò casu constan-  
te matrimonio dos, juris nostri si spectes apices, repeti nequit, per ea  
quæ habet *Gail. d. l. n. 5.* ubi tamen quoad hanc quæstionem distin-  
guendo tandem concludit, statuendo scil. constante matrimonio hòc  
quoque casu repetitioni dotis locum fieri, ubi mulier viro de dilapi-  
datione tantùm populari rumore suspecto scienter nupsisset; cessare  
contrà, ubi uxor ante matrimonium inopiam vel prodigalitem viri  
plenè cognitam & exploratam habuisset, illaque scientia plenaria ritè  
probetur.



§. 7. Nec illud tandem h. l. prætereundum, venire in dictam dotis restitutionem non solum rem vel quantitatem in dotem datam, sed & fructus qui vel ante, vel post matrimonium fuere percepti. l. 7. §. 1. & pass. ff. solut. matrim. iunge Strauch. Diss. 3. aph. 15. (ubi de divisione fructuum ultimi anni more suo, h. e. nervosè differit, & l. 7. §. 1. ff. sol. matrim. propositâ facti specie accuratè explanat) impensis tamen necessariis (& his rerum, quæ vocant, sive perpetuis, non & fructuum sive temporalibus. Vid. Hahn. ad Wesenb. de imp. in res dot. fact. n. 1. Strauch. Diss. 18. aph. 1. & fac. l. 7. §. fin. ff. sol. matr.) marito salvis. l. 5. §. 8. 9. ff. de imp. in res dot. fact. ut quæ dotem ipsò jure minuunt. l. 1. ff. d. t. l. 2. ff. de dot. prel. l. 5. in fin. ff. de pact. dot. l. un. §. 5. C. de R. U. A. vid. Strauch. d. l. Ulpiani & Pauli in l. 5. ff. de imp. in res dot. fact. & l. 56. §. 3. ff. de jur. dot. apparenter pugnantium conciliatorem eximium, ubi simul etiam, quomodo illa imminutio fiat, dilucidè tradit.

§. 8. Imò amplius præter fructus id etiam in dotis restitutionem venit, quod dolo, culpave mariti levi arg. l. 18. §. 1. l. 25. §. 1. l. 24. §. 5. ff. solut. matrim. l. 17. pr. ff. de jur. dot. circa res dotales admissum est. l. pen. & ult. ff. solut. matrim. d. l. 17. pr. ff. de jur. dot. l. 6. ff. de pact. dot. Riem. de cad. 2. qv. 9. nisi mora in muliere fuit, quo minus dotem reciperet, tunc enim dolum solum præstat maritus l. 9. ff. solut. matrim.

§. 9. Quæritur h. l. an & casum fortuitum præstet maritus in re dotali? Distingue inter res æstimatò & inæstimatò datas. Illarum periculum, & siquidem æstimatio emptionis-venditionis ergò adjecta, ad maritum; harum verò vel taxationis causâ æstimatarum periculum ad mulierem pertinet. l. 10. ff. de jur. dot. adde supra cap. 7. §. 5. hanc in rem dicta.

§. 10. Adjunctum dotis constituunt pacta dotalia de quibus jam dum supra d. cap. 7. §. 7. Item antipherna sive donatio propter nuptias, vulgò das Gegenvermächtnis §. 3. Inst. de donat. ut quæ mulieri in securitatem dotis recuperandæ à marito dari solet, de qua alibi; & privilegia plurima (Vid. Baldi Novelli tract. de dot. qui 186. recenset) doti concessa, quæ inter eminent justacite hypothecæ, cum jure prælationis, quò mulier omnibus mariti creditoribus etiam expressam anteriorem habentibus præfertur. l. fin. §. 1. C. qui pot. in pign. de jure puta Civili Romano, de jure enim Saxonico & Civili moderno per Const. Elect. Sax. 28. part. 1. & Ordin. Process. tit. 43. in pr. mulieri præferuntur in concursu



curfu creditores priorem hypothecam expressam habentes. *Conf. Philipp. lib. 4. Eccl. 53. Us. Pr. Inst. & Carpzov. p 1. Const. 28. defin. 64. & seq. & lib. 4. Resp. 26.*

§. 11. Cæterum non prætereundum, privilegium dotis esse personalissimum, soli que mulieri & liberis ejus, non autem aliis hæredibus, competere *l. 12. C. qui pot. in pign. l. 196. ff. de R. J. l. 68. ff. eod. Philipp. lib. 4. Us. Pr. Inst. Eccl. 54. Confer. Col. decis. 260. n. 19. ubi quasdam limitationes recenset.*

§. 12. Illud adhuc in quæstionem venit, *an prælationis, quod dixi, privilegio etiam gaudeat mulier scienter oberato nubens?* Et negativa in puncto juris civilis verior est, eò quòd vigilantibus mulieribus, non negligentibus subvenire voluerit Imperator, & quòd mulier hòc casu ipsamet in culpa sit, adeoque damnum, quod exinde sentit, sentire non videatur *l. 203. ff. de R. J. & facit præterea l. 31. ff. de privileg. Cred. in foro tamen Saxon. per Decis. Elect. noviss. 6. affirmativa obtinuit.*

**TANTUM!**

Inge-



**I**ngenii quæ sit Tibi *dos*? KAYSERE, roganti  
Monstra sis *dotis* nil nisi *jura* tuæ!

PRAESES.

**B**ruma riget, sævit Boreas, nix alta refulget,  
KAYSERE, quando differis,  
Quæ sint jura tuæ Dotis? Cur tempore brumæ,  
Nec disputas æstatibus?  
Scilicet ignorat frigus mens enthea! Dos est  
Vigor tibi omnis igneus!

Clarissimo Domino Kaisern /  
Amico suo per dilecto hisce gratificari  
voluit debuit

Henricus Balthasar Zobel,  
J. U. D.

**P**rivata Te, KEISERE Mi, subsellia  
Vidère nostra. Nunc abire in publicum  
Quando expetis, viasque, quales hæctenus  
Ductore me secutus indefessus es,  
Monstrare cunctis; quando *jura dotium*  
Proponis Autor, idque tanto PRÆSIDE:  
Non laudo coepta. Nempe laudis indigum  
Nil cerno quicquam; seu *Theses* spectem tuas,  
Seu (quod prius poni decebat) PRÆSIDEM.  
*Campana certè omnem coronam negligunt!*

Id



Id sed monendum Te puto: Cum disputas,  
Actu meum probare Te ne negligas.  
Sed quid meum? Probare Te sub PRÆSIDE  
Jam disputare Jure-Consultissimo!

Monitum Tui

Corvini.

**W**ird nicht Justinian, weil Er hat aufgesetzt/  
Und durch Tribonian den Rechten eingeezset/  
Was Weibern Vorzug giebt/ was sie befreien kann  
Vor andern/ oft genann't ein rechter Weiber-Mann?  
Wie such't Herr Kaysar denn Ruhm und Lob zu gewinnen  
Durch einzig Weiber-Recht? hat Jenes sein Beginnen/  
So Krohn' und Szepter trug/der Momus nicht gescheu't/  
Wie wird denn Dieser sein von dessen Gift befrei't?  
Doch Ihm/mein Freund/wird selbst die Themis müssen schützen/  
Weil Er durch seine Schrift das Recht begehrt zu stützen/  
So Weibern dienlich ist/und Männern Nutzen bring't.  
Zu loben ist Der /dem/wie Ihm/sein Fleiß geling't.

Mit diesen wenigen wolte dem  
Herrn Respondenten aufwarten

Joh. Henr. Melich,  
J. U. Candidatus.

**I**ngenii dotes prodis de DOTE loquendò  
E Cathedra, CÆSAR, doctus & ore potens.  
Gratulor ergo Tuis studiis! Illustre brabeum,  
Pro meritis quondam spondet amica Themis.

Boni ominis sinceriq; affectus ergo apponere  
voluit debuit

M. O. H. Corvinus.

Quis



J. H. S.

**Q**uis Tibi, quis subitus fervor calcaria subdit,  
Quando paras crebrò doctas animare Ca-  
thedras,

Cæsar es! atqve simul luci Te credis apertæ  
Ingenii præclara Tui certamina miscens?  
Gratulor hos ausus, faxit supremus Jöva,  
Ut Tibi succedant feliciter omnia cœpta!  
Sed Tu perge viam, quam magnis laudibus usqve  
Presfisti, haud deerit sperata corona labori.

*Benevoli affectus testandi ergo  
apponeb.*

M. Christian Wilhelm Ditmar,  
LL. Stud.


---

**F**œmineas, CÆSAR, doctò luctamine dotes  
Monstras & Themidos dote coruscus abis.  
Plaudimus! omnipotens Genitor de vertice cœli  
Augeat has dotes mentis & omne tuum.

Ita laudabilibus Clariss. Dn. Respondentis  
cœptis animitus apprecor

*Christianus Seyffert, Lipsiens.*

**F I N I S.**






X2615907


VD 17











B.I.G.

Farbkarte #13

B. V.

m Legale

*Y. 13. D. 30. Y. 2. D. 59. Y. 3. D. 31.  
Y. 4. D. 12. Y. 10. D. 23.*

*1669, 14*

bens

# OTIUM,

is Juridicæ Lipsiensis

missu

trocinio

RENDI, PRÆNOBILISSIMI,]

ATOVE EXCELLENTISSIMI

N.

## ÆI LEONHARDI

## ENDÖRFFERI

onici Martisburgensis,

cultatis Juridicæ Assessoris

ritissimi,

*ie cultu etatem venerandi*

A. Æ. C. clo Ioc LXIX.

ventilandum

ositum.

ambsd. Misn. Autore.

um Collegio

2. s.

PSIÆ,

BAUERIANIS,